444
H36

444

H

36

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 36

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 36

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 36

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 36

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 36

kw 444 H 36

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
PROBATIONIBUS.

QUAM
Favente Deo Opt. Max.
Ex Authoritate Magnifici D. Rectoris,
D. GISBERTI VOETII, S. S. Theologiæ Doctoris, ejuſdemque Facultatis in inclytâ Academiâ Ultrajectinâ Profeſſoris celeberrimi, ibidemque Verbi Divini Miniſtri vigilantiſſimi,
NEC NON
Ampliſſimi Senatus Academici Conſenſu & Conſultiſſimæ Juridicæ Facultatis Decreto:
Pro Gradu Doctoratus, & Privilegiis in U. J. conſequendis,
Publico Examini ſubjicit
JACOBUS VERHEYE, ZZæâ, Zelandus,
Ad diem . Junii, horâ locoque ſolito.



ULTRAJECTI,
Ex Officinâ ANTONII SMYTEGELT,
Bibliopolæ, Anno cIↄ Iↄ c ix.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 36

Viro Ampliſſimo, Prudentiſſimoque,
D. CORNELIO VERHEYE, Inclytæ ZZæorum Reipublicæ Conſulari, ejuſdemque Senatori graviſſimo, Theſaurario fideliſſimo, Parenti meo dilecto.

UT ET

Clariſſimo Spectabilique,
D. PAULO VOET, J. U. D. ejuſdemque Facultatis in Almâ Trajectenſium Academiâ Profeſſori digniſſimo, Cameræ Vianenſis Senatori prudentiſſimo, Præceptori & Promotori meo plurimum venerando.

NEC NON

Ornatiſſimo Doctiſſimoque Viro,
D. JOHANNI JOACHIMO LUDOVICI, Gymnaſii Ziricæani Moderatori indefeſſo, Literatori inſigni, Linguæ Græcæ peritiſſimo, Pręceptori quondam meo, in æternum colendo.

Hanc Diſputationem Inauguralem,

In grati animi ſignum,

Offero & Inſcribo

JACOBUS VERHEYE, S.S.LL. Cand.
Auth. & Reſp.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 36

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE

PROBATIONIBUS.

THESIS I.

DE Nobiliſſima præſtantiſſimaque probationum materia diſputaturo, viſum mihi fuit, antequam ad illuſtriores, eandem ſpectantes, quæſtiones accedam, primum ejuſdem definitionem præmittere. Omnis enim, quæ à ratione ſuſcipitur, de re aliquâ inſtitutio, debet à definitione proficiſci, ut intelligatur quid ſit id, de quo diſputatur. *Cic. lib. 1. de Off.* Eſt autem probatio actus judiciarius, quo de re dubia & controverſa fides judici fit. *l. 18. C. de prob.*

II.

Definitionem excipit Diviſio, nec hic dubitabo antiquiſſimæ illi, & à Rhetoribus quoque traditæ Diviſioni, palmam tribuere; ſecundum quam probatio eſt vel artificialis vel inartificialis. Artificialem illam appello, quæ ex ipſâ cauſâ, per argumenta & indicia deducitur: Inartificialem verò, quæ in teſtium inſtrumentorumve auctoritate conſiſtit. *Duar. com. in tit. de prob. cap. 3. Treutl. vol. poſt. diſp.* IV. *theſ. 2. weſemb. parat. in tit. de prob. n. 4. Zoeſ. Com. ad ff. in tit. de prob n. 1. Vinn. ſelect. jur. quæſt. lib. 11. cap.* XI. *Schot. in exam. jur. ad tit. de prob.*

III.

Hinc alii, effectum tantum probationis, & vim quam hodie in judiciis habet, conſiderantes, partiuntur probationem in Plenam & Semiplenam. Plenam illam eſſe volunt, quæ plenam fidem judici de re aliquâ facit. Semiplenam, quæ non plenam fidem, ſed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 36

opinionem quandam inducit. Approbant eandem *Oldendorp. in tract.*|*de prob. Treut. vol poſt. diſp.* IV. *theſ.* 11. *Perez. ad tit. C. de prob. n.* 4. *Zoeſ. com. ad ff. in tit. de prob n.* 1. *Vinn. Select. jur quæſt. lib.* 1. *cap.* 44. Et quamvis hæc probationis diſtributio communi D. D. calculo recepta & approbata videatur, non tamen vereor, cum *Duar.* 2. *diſputat. anniverſ.* 33. *& cum Donell. ad l.* 3. *C. de reb. cred. & ad l.* 4. *C. de edend.* eam, non legalem, ſed à D. D. confictam appellare, utpote cujus in jure nullibi fiat mentio. *Donell. comm. lib.* 24. *cap.* 19. *Bronch. cent* 11. *aſſert.* 93. *Ant. Matth. de Crim. lib.* 48. *tit.* 15. *de prob. n.* 5. *Hunn. ad Treutl. vol.* 2. *diſp.* IV. *theſ.* 2. In praxi tamen per jus Noviſſimum Conſtitutionum Criminalium imp. Car. V. res hæc expedita eſt, utpote in quibus aperte hæc DD. diſtinctio approbatur, cumprimis *art.* 23. & adhuc clarius *art.* 30.

IV.

Sed quid de Præſumptionibus, jure-jurando, & Confeſſione dicendũ? num inter probationis proprie dictę ſpecies rectè numerabuntur? Id quidem quoad prę ſumptionem dicendum eſſe, quæ proprie non eſt probationis ſpecies, vel hinc liquet, quod probatio percipiatur ſenſu, ut viſu, auditu, præſumptio verò per diſcurſum rationis colligatur, ex facti circumſtantiis. Idem quod de jurejurando, ſi de proprietate verborum loquamur, affirmandum, quæ probationis proprie dictæ ſpecies eſſe nequit. Cum enim quis jurat deferente adverſario, non probat, ſed exoneratur probandi neceſſitate *l. eum qui* 30. *D de iurejur.* Idẽ quod ſtatuendum de Confeſſione, cum proficiſcatur ab eo, cujus officii non eſt probare: *Duar. comm. in tit. de prob. cap.* 11. *Perez ad tit. C. de prob. n.* 3. *weſemb. Parat. in tit. de prob. n.* 14. *Zoeſ. comm. in tit. de prob. n.* 14. *Treut. vol. poſt. diſp.* 4. *theſ.* 1. *litt. e. & ibi Hunn.*

V.

Hiſce præmiſſis, cui probandi onus incumbat, videndum, & Reſpondet Paulus JCtus in *l.* 2. *D. de prob.* ei incumbere probationem, qui dicit, non ei qui negat. Sed cujus ſunt hæ partes propriæ, actoris tantum, an nec actoris nec rei? nec actoris nec rei partes has eſſe proprias, ſed utrique ſive agendo, ſive excipiendo a-

liquid

liquid intendant, competere, cenſent *Duar. in comm ad tit. de prob. cap. 11. Donell. ad tit. de prob. cap. 2. Zoeſ. in comm ad h. t. 3. Perez. ad Tit. C. de prob. Hunn. ad Treutl. vol. 2. diſp. 4. theſ. 3. Vinn. ſelect. jur. quæſt. lib. 2. cap. 12. in princ.* Actori tantum probandi onus incumbere, ſentiunt *Oldendorp & Alciat. in tractatibus de prob. weſenb. in Parat. h. t. n. 6. Bacchov. ad Treutl. vol. poſt. diſp. 4. litt. a. theſ. 3.* & rectius; ab eo enim qui lite pulſatur, probatio non exigitur. *l. 8. C. de prob.*

VI.

Rectè autem dicitur, ei qui dicit, non ei qui negat, incumbere probationem *l. 2. ff. de prob.* quippe factum negantis, quatenus negat, per rerum naturam nulla eſt probatio. *l. actor. 23. C. de prob. l. adſeveratio. 10. C. de non num. pec.* quia, ut ait Ariſtoteles, negationis nulla ſubeſt cauſa. Sin vero ſit negativa facti circumſtantionati, & determinati loco, tempore, vel ſimili Circumſtantiâ, probari poteſt: *l optimam C. de contrah. & committ. ſtip. §. item verborum Inſt. de inut. ſtip.* Huc etiam pertinent negativæ juris & qualitatis, eaſque probari poſſe nullus dubito. *l. 5. D. de probat. Duar. Comm. in tit de prob. cap. 12. Oldendorp. in dict. tract. Treutl. vol. poſt. diſp. 4. theſ 4. weſemb. in Parat. h. t. n. 7. Zoeſ. in Comm. h. t. n. 4. Perez. ad Tit. C. de prob. n. 9. & 10. Bach. ad Treutl. vol. poſt. diſp. 4. theſ. 1. Bronch. cent. 11. aſſert. 92. Vinn. ſelect. jur. quæſt lib. 2. cap. 12. Schot. in exam jurid. ad tit de prob.*

VII.

Materia probationum ſunt facta, quod non obſcure innuit *l. 16. C. de prob.* Ea enim, quæ juris ſunt, cum per ſe nota ſint, (etenim jura certa habentur *l. 2. ff de jur. & fact. ignor.*) probanda minimè veniunt. Hinc natum illud tritum quod in curiis Galliæ celebratum refert Mynſing. *Venite ad factum, curia novit jus.* Facta autem intelligo dubia & controverſa. Quæ enim certa ſunt, judicique comperta, probatione non indigent, in iiſque probationis finis evidenter deficit: & quæ Notoria (notorium autem illud appello, quod palam & inſpectante populo, vel in conſpectu judicis & circumſtantis Coronæ perpetratum eſt) non tam probari, cum non poſſint non apparere, quam allegari verius eſt. *Zoeſ comm. ad tit. de*

prob.n.2. Bacchov.vol.poſt.diſp.4.th.1.litt.b. Hunn. ibid.quæſt.4. weſemb in Parat. ad tit. de prob. n.7. Perez. ad h. t. C. n.2. Vinn. ſelect. jur quæſt. lib.2. cap.11. Diſſ. Treutl. Vol. poſt. diſp.4. theſ.1.

VIII.

Hinc nobis occurrit intricatiſſima, & quæ plurimos torſit interpretes, quæſtio: An ſc. judex ſecundum acta & probata, an vero ſecundum conſcientiam judicare teneatur? Secundum acta & probata eſſe judicandum aſſerunt, JCtorum Aquilæ *Jacob. Cujac. lib.12. obſerv cap.19. Covarruv. var.reſol. lib.1.cap.1. Donell. 26. comm. cap.3. Clar. ſent. lib.5. §,fin. quæſt.66. Zoeſ comm. in tit. de jud. n.48. Bacchov. ad Treutl. vol.1. diſp.12, theſ.14. wiſſembach. diſp. 52. ad inſtitut. theſ 23. Bronch. cent. 1, aſſert. 14.* Secundum conſcientiam vero eſſe judicandum, approbant *Oldendorp. in form inveſtig. act. Treutl. vol poſt. diſp.4. th 9. Hunn. ad tit. de jud. theſ. 14. Vinn. in comm. ad lib.4 inſtitut. tin. 17. n.5.* Ego in hoc opinionum conflictu cum *Ameſio lib 5. de Conſc. cap.54. quæſt.5.* ſtatuo, regulariter contra allegata & probata non debere judicem ſententiam ferre. Rationem reddit Cujac. alleg. loc. Quia tutior hæc eſt ratio finiendarum litium, quam ſi obtentu ſcientiæ judicis, licere permiſeris probationum nullam haberi rationem. In caſu tamen particulari, quo certo certius venit condemnandus innocens (cum contra conſcientiam quoque judicare non debeat,) & præſertim, ſi ſit ſupremus judex, à quo nulla provocatio, & cui inſuper nullum aliud auxilium ſupereſt, quam ut ſententiam ferat,) tutius erit, ſecundum conſcientiam pronuntiare, & ſic ſæpius judicatum eſſe videre licet ex *Guid Pap. deciſ.29.*

IX.

Non injucundæ quoque diſſertationis eſt, an in criminalibus cauſis, ex argumentis & indiciis quis condemnari poſſit? Varie hic diſſentientes videre licet D.D. nec tamen omnes eodem modo: quibuſdam ſimpliciter, quibuſdam ordinariâ pœnâ reum argumentis convictum affici poſſe negantibus. Aliis denique, indicia tantum ad eculeum & quæſtiones ſufficere contendentibus. Ego relictis hiſce opinionibus, illis adſtipulabor, qui exiſtimant, indiciis & argumentis convictum, non minus ordinariâ pœnâ affici

ſici poſſe, atque ſi teſtibus convictus eſſet: per *l. ult. C. de prob. l. 2. quor. appell. non recip. Duar comm. in tit. de prob. cap. 10. Clar. ſent. lib. 5 §. fin. quæſt. 21. n. 40. Bacchov. ad tit. de prob. vol. poſt. diſp. IV. theſ. 7. Zoeſ. comm. in tit. de prob. n. 20.* Et ita judicatum refert *Sanden. lib. 5. tit. 9. defin. 14.* Diſſ. *Treutl. vol. poſt. diſp. IV. theſ. 7. Fachin. lib. 1. controv. cap. 29. Bronch. miſcell. controv. cent. 11. aſſert. 61.*

X.

Hinc quærendi occaſio ſumitur, an indicium, ſaltem ad torturam habile, cenſeri debeat, uſitata illa ſagarum, manibus pedibuſque conſtrictarum, in aquam abjectio, ut inde ſontes ne ſint, an vero inſontes, argumentum aliquod petatur? Et verior negantium eſt ſententia. Satius enim, ut inquit *Ulp. in l. 5. ff. de pœn.* nocentem abſolvi, quam innocentem condemnari. Cui inſuper accedit, quod fallant plerumque hæc indicia, & à tyrannide parum abſint. de quibus proinde juſte queruntur D D. quod in ea, præ cæteris proclivis ſit lapſus: *Zepperus de leg. Moſ. lib. 5. cap. 10. Rev. D Giſb. Voet. in diſſert. de Mag. Wiſſembach. vol. 2. diſp. 37. Bacchov. vol poſt. diſp. 4. theſ. 7.* Recte itaque de moribus hujuſmodi faſcinantium artes, (non tamen quod omnis ſit neganda magia) tanquam aniles nugę ridentur. Autor Batavicæ Arcadię prolixè. *Vinn. comm. in Inſtit. lib. 4. tit. ult. §. 5. Groen. ad tit C. de mal. & ſic à Senatu Friſiæ judicatum refert Sanden. lib. 5. tit. 9. defin. 13.*

XI.

Verum an non ſaltem indicium ſufficiens videri debet, ſanguinis ex cadavere interfecti profluvium; quod in præſentiâ accuſati exponi ſolet? Hoc quidem nonnullis ita viſum eſt, aliis tamen contra ſentientibus, id per ſe non eſſe ſufficiens, niſi alia concurrant indicia, quantumvis leviora. *Treutl. vol. poſt. diſp. 4. theſ. 7. & Hunn. ibid.* Verum horum opiniones ſequi, cum nullâ lege, nullâ ratione nitantur, mihi relligio eſt. Ut malim cum *Bacchov. vol. 2. diſp. 4. theſ. 7.* ſtatüere, pro nullo plane indicio hoc ipſum habendum eſſe. Non enim ſapientis judicis eſt, incerto experimento credere, quando quid certâ ratione dirimendum eſt. *per leg. 5. ff. de pœn.*

XII. Agmen

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 36

XII.

Agmen claudat nobiliſſima quæſtio, an reus urgentibus indiciis & legitimis probationibus convictus, præfractè tamen, negans delictum à ſe perpetratum, poſſit condemnari? Quidam hoc in caſu opinantur, reum torturæ ſubjiciendum eſſe. Veruntamen cum judex ad tormenta devenire non debeat, niſi deſint aliæ probationes, nec veritas aliter illuminari poſſit: *l.* 13 *C. de. quæſt.* & inſuper quæſtio tantum ſit inventa in ſubſidium & defectum plenæ probationis; ut, ubi eſt plena probatio, non opus ſit ſubſidio probationis; rectius ſtatuunt, qui reum legitime convictum, condemnari poſſe cenſent. Quæ etiam opinio confirmatur per *l.* 16. *C. de pœn.* hancque ſententiam communem eſſe tradit *Clar. ſent. lib.* 5. §. *fin. quæſt.* 64. *n.* 5. Ita quoque in Friſiæ curia judicatum refert *Sanden. lib.* 8. *tit.* 9. *defin.* 14. Conſuetudine tamen multis in locis receptum, ut reus legitime convictus, quæſtioni ſubjiciatur, & ſic in Hollandiâ practicari teſtatur *Groenew. ad l.* 16. *C. de pœn. poſt. Neoſtad. cur. Holl. deciſ.* 47. De moribus tamen hujus Civitatis contrarium aſſerit, *Anth. Matth. ad lib.* 48. *cap. ult. tit.* XX. *de crimin. per Conſt. Duc. Alb.*

COROLLARIA.

I. *AN Conſuetudine poſſit introduci, ut citra jusjurandum credatur libris Mercatorum*? Neg.

II. *An filiusfam. de iis bonis Adventitiis, quorum uſusfructus patri non quæritur, teſtari poßit*? Neg.

III. *An Quis poßit eſſe procurator ad lites anno* 18. Affirm.

IV. *Num contractus poſſit celebrari in teſtamento*: Neg.

V. *Num communis error faciat jus*? Neg.

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 36

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 36

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 36

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 36